

Der liber constructionis monasterii ad s. Blasium.

107

credidit possedisse, tendit insidias, [fol. 22^b] solitas fraudes exemplarat¹, multimodis temptationibus² eum fatigabat et a piae devotionis proposito devocare incessanter elaborabat. Ille autem signo sanctae crucis se muniens, sanctorum praesidia implorando, beatum vero Blasium et praedictum eius abbatem Rustenum saepius invocando, infestationes diaboli viriliter sustinuit dignisque exprobrationibus ei quasi in faciem inclamando magna quadam animi praesentia dixit: „fuge, fuge, discede, discede, cruenta, nihil habes in hoc homine“^{*}. Et in his omnibus gratias deo agens, canticum angelorum, quorum se futurum concivem³ gaudebat, devote decantabat, dicens: „gloria in excelsis deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis“^{**}. Matutinali vero hora sextae feriae^{***} decano caeterisque canonicis adstantibus⁴, quatenus oleo infirmorum, quem admodum rogaverat multumque desideraverat, [ut⁵] solito more eum inungerent, coram omnibus quasi rem novam et insperatam in eo ammirantibus dixit: „corde et ore me monachum sancti Blasii esse confiteor;“ hac publica suae devotionis professione, ut vere credimus, veram peccatorum suorum indulgentiam consecutus. Qui cum perunctus oleo albis pannis, ut in tali negotio fieri solet †, vestiendus esset: „vestimentis albis, inquit, angelorum indutus sum.“ Et paulo post: „duas, ait, habeo camiseas⁶, unam spem, alteram charitatem.“ His ita completis cum omni mentis humilitate multaque lachrymarum profusione quoruncunque orationi suppliciter se commendans, auxilium omnium obnixie cum summo desiderio efflagitare coepit, quatenus exitus sui inducias usque in horam dominicae resur-

rectionis apud misericordiam dei omnipotentis sibi impetrarent. Quod et ita divina donante clementia factum est, ut ex hoc videlicet evidenter omnibus claresceret, illum certe nullo modo expertem futurum illius resurrectionis gloriosissimae, cui in eadem hora cum tanta spe tantoque desiderio de hoc saeculo tam feliciter contigit emigrare.

61. Interim autem dum desiderata tantae expectationis hora adveniat, [fol. 23^a] a divinis laudibus nunquam cessabat, corde et ore incessanter deum glorificabat et benedicebat; ideoque voces innumeras¹ dominum laudantium et benedictium merebatur audire, quorum choris interesse dixit vehementer se cupere. Sed quia eo quisque sublimius glorificabitur, quanto in huius vitae angustiis graviter temptatus fidelius probatur, sicut scriptum est: * „beatus vir, qui suffert temptationem, quia, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit deus his, qui diligunt illum;“ en iterum diabolus, humani generis hostis perniciosus, temptator insidiosus, praesentem se ei ingerebat quantoque minus iam de eius amissione dubitabat, tanto violentior urgebat, terrebat, eoque eum premebat², ut vehementer ille iam territus et tremefactus, suosque oculos per singulos domus angulos circumvolvens magna voce horribiliter inclamaret: „quid hic stas, cruenta bestia? quid quaeris? quo me abducere vis? fuge, fuge, cruenta, discede, scelerate.“ Haec saepius inclamando ingeminans sanctumque Martinum et praecipue b. Blasium ac praedictum abbatem Rustenum cum caeteris suis confratribus indesinenter, quasi praesentes, implorans, crucem quandam iuxta positam sibi dari rogavit; quam fortiter arreptam inimico, quem adstantem³ videbat, viriliter eam intentans talique vexillo regis sui glorianter exultans, psalmum illum: „domine, exaudi orationem meam et clamor meus ad te veniat,“^{***} valida voce decantavit, et sic demum omnem violentiam et terrorem illius nequissimi a se repulit. Divina autem providente misericordia quatenus inremissum de mutatione habitus^{***} quandoque eius impleretur desiderium, quidam religiosus ex improvise intervenit, cuius ministerio vestibus more solito sine dilatione praeparatis, capite abraso, monachus sancti Blasii, sicut rogaverat, sicut desideraverat, feria septima † ordinatur. Tonsuram autem capitis tanta alacritate tantaque animi

¹ eximplorat, Hf. ² temptationibus, Hf. ³ se wiederholt die Hf. ⁴ astantibus. ⁵ fehlt in der Hf. ⁶ camisea, Hf. Diese Form steht auch bei Du Cange s. v. cam.

* Das Werk des Abtes Richalm von Schönthal, liber revelationum de insidiis et versutis daemonum adversus homines, hat mit dem Inhalte des liber constructionis Aehnlichkeit. Auch lebte Richalm (gest. 1220) nur wenige Decennien nach dem ersten Verfasser des liber constructionis, der dem 12. Jahrh. angehörte. Richalms Werk steht in Pez, thesaurus anecdot. I. 2 p. 376 f. gde. Es ist, was Pez nicht bemerkt, in Dialogform abgefaßt und deshalb eine Nachahmung der Dialoge von Gregor d. Gr., der auch darin oft citirt wird. Gleiche Erscheinungen berichten Richalm und der liber constructionis in: Richalm. I. cap. 15 daemones assistunt circa lectos und lib. constr. II. cap. 24, 60. 61.

** Luc. 2, 14.

*** Es war Charfreitag. S. unten.

† Auf ein heiliges Blatt schrieb Willberg: vestes albae datae infirmis oleo iniunctis. Daraus scheint zu seiner Zeit dieß in St. Blasien nicht mehr Sitte gewesen zu sein.

¹ innumeras, Hf. ² praem., Hf. ³ astantem, Hf.

* Jacob. 1, 12.

** Psalm. 101, 2.

*** Mönchskleid.

† Am Charfreitag.

14*